

quam attendens Conc. Trid. sess. 7. can. 9. definit:  
*Si quis dixerit in tribus Sacrementis, Baptismo, scilicet, Confirmatione, et Ordine, non imprimi charaterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indeleibile, unde ea iterari non possunt; anathema sit.*

### § VI. De caeremoniis Sacraementorum.

Quaeres 1. *Quid intelligatur per caeremonias Sacraementorum?*

Resp. Intelliguntur ritus Sacramentales, et Sacramentalia.

Quaeres 2. *Quid sint ritus Sacramentales?*

Resp. Sunt, actus externi Religionis ab Ecclesia instituti, ad decentem et devoutam Sacraementorum administrationem.

Quaeres 3. *Utrum situs Sacramentales sint utiles?*

Resp. affirm. Nam, ut decet Conc. Trid. sess. 22. cap. 5. valent ad majestatem et reverentiam mysteriorum nostrae Religionis conciliandam, ad pietatem fiduciam promovendam, ad nutriendam eorum fidem, notitiamque mysteriorum veluti oculis subjiciendam; ergo.

Quaeres 4. *Utrum liceat in Sacraementorum administratione ritus ab Ecclesia usitatos et approbatos mutare, vel omittere?*

Resp. Est peccatum mortale ex genere suo, ut definit Conc. Trid. sess. 7. can. 13. Ratio est, quia tenetur Ecclesia in omnibus obsequiis.

Quaeres 5. *Quid sint Sacramentalia?*

Resp. Sunt, quidam ritus externi, ab Ecclesia instituti et consecrati, ad quosdam effectus spirituales producendos.

Quaeres 6. *Quot sint Sacraementalia?*

Resp. Sex numerantur versus sequenti comprehensa-

*...tum, de quo hic.*

*Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.*

Quaeres 7. *Quinam sint Sacraementalium effectus?*

Resp. Est remissio peccatorum venialium, et interdum excitatio gratiae actualis, remissio poenae temporalis peccatis quoad culpam remissis debitate, compresio daemonis, operatio sanitatis, &c.... Dux, interdum; quia hos effectus producunt infallibiliter, cum Christus non promiserit illos ad praesentiam Sacraementalium operari.

## DISSESSATIO II.

### De Baptismo.

Nota. **A** gemus 1. de natura, materia, et forma Baptismi; 2. de ejus necessitate; 3. de ejus ministro, et subjecto; 4. de ejus effectibus, ac caeremoniis.

### § I. De natura, materia, et forma Baptismi.

Quaeres 1. *Quotuplex sit Baptismus?*

Resp. Triplex, nempe, Baptismus sanguinis, estque martyrium. Baptismus flaminis, estque votum, seu desiderium recipiendi Sacraementum Baptismi. Et Baptismus aquae, qui est primum novae legis Sacraementum, de quo hic.

Quaeres 2. *Quid sit Baptismus?*

Resp. Definitur, Sacraementum, a Christo institutum, ad spiritualem hominis regenerationem, per exteriorem corporis ablutionem, factam aqua sub praescripta verborum forma.

Quaeres 3. *Quandonam institutum fuerit Sacraementum Baptismi?*

Resp. Probabilius est institutum fuisse ante passio-

nem; nam, Joan. 3. *Venit Jesus, et discipuli ejus in Judeam, . . . et baptizabat, nimurum per Apostolos, ut dicitur cap. 4. quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus.* Atqui baptismus ille non erat Joannis, sed is de quo, *eodem capit. 3.* dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, &c.*

Quaeres 4. *Quaenam sit materia remota Baptismi?*

*Resp.* Est omnis aqua naturalis, et proprie dicta, Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Hinc nec aqua artificialis ex rosis, herbis, &c. nec glacies, nix, nisi sint in aquam resolutae, sunt materia Baptismi.

Quaeres 5. *Quaenam sit materia proxima Baptismi?*

*Resp.* Est exterior corporis ablutio, per aquam immediate supra corpus baptizandi fluentem: nam talis ablutio est materiae remotae ad subiectum applicatio.

Hinc, 1. Debet esse motus aquae successivus. 2. Non sufficit ut vestes aut capillos attingat, sed necesse est ut perfundat corpus. 3. Necesse est ut abluitur una ex praecipuis partibus corporis, maxime vero caput, in quo omnes sensus vigent. Inde sequitur Baptismum, in quo abluitur manus vel pes infantis, esse dubium, quia licet dicatur ablutus *secundum quid*, non tamen dicitur ablutus *simpliciter et absolute*: et ideo Ritualia docent illum Baptismum esse sub conditione repetendum.

Quaeres 6. *Quot modis fieri potest ablutio, ut sit validum Sacramentum?*

*Resp.* Triplici, 1. *Per immersionem*, ut hactenus apud Graecos, apud Latinos vero usque ad xii. saeculum. 2. *Per infusionem*, ut hodie apud Latinos. 3. *Per aspersionem*, qua creditur usum fuisse S. Petrum, quando in uno die 3000. hominum baptizavit. Ratio est, quia nullum ex his modis Christus determinavit; ergo per quaecumque satisfit praeecepto Christi, *baptizantes eos, &c.* . . . Dixi, *Ut validum sit*

*sacramentum*; quia, ut licitum sit, quilibet tenetur ritum servare praescriptum in Ecclesia, cui adscriptus est, nimurum immersionem apud Graecos, et infusionem apud Latinos.

Quaeres 7. *Quaenam sit forma Baptismi?*

*Resp.* Apud Latinos, haec est: *Ego te boptizo in nomine Patris, &c.* Apud Graecos vero *Baptizatur (supple, a me) servus, vel serva Dei N. in nomine Patris, &c.* Ita fert Euchologium, quo Graeci a mille annis et amplius utuntur. Unde non differt, quoad sensum, a forma Latinorum.

Quaeres 8. *Quaenam voces Baptismi in forma necessario sint pronuntiandae, ut valeat Sacramentum?*

*Resp.* 1. Pronuntiari debent voces, *te bapto*, quibus exprimuntur actio ministri, et persona baptizanda, ut definierunt Alexand. III. cap. si quis, *extrav. de Bapt.* Alexand. VIII. qui hanc. prop. damnavit: *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, In nomine Patris, &c. praetermissis istis, Ego te bapto.* . . . quoad pronomen, ego, sufficienter exprimitur in verbo *baptizo*.

2. Pronuntiari debet *verbum, in nomine*, quo unitas naturae exprimitur, quia ita determinavit Christus; unde qui diceret, *in nominibus*, tolleret sensum formae a Christo determinatae.

3. Pronuntiari debent hae *voces*: *In nomini Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*; quibus exprimitur distincte invocatio trium SS. Trinitatis personarum: tum quia Christus eas designavit: tum quia SS. PP. semper rejecerunt Baptima ab haereticis collatum absque hac expresa et distincta invocatione.

*Objicies.* Ex actibus Apost. c. 2. 8. et 19. Apostoli baptizarunt *in nomine Jesu Christi*: Ergo.

*Resp.* *Dist. ant.* Baptizarunt in nomine Jesu, id est, Baptismate a Jesu instituto, *conc.* id est, invocato solo nomine Jesu, nego. Nam Act. 29. cum aliqui Ephesii di-

xissent Paulo: *Neque si Spiritus Sanctus est, audivimus,* respondit Paulus: *In quo ergo baptizati estis?* quibus verbis significatur, etiam Pauli tempore, in Baptismi forma, Spiritus Sancti nomen invocatum fuisse,

*Instabis.* Actor. 8. dicitur, *Baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu;* ergo.

*Resp.* Nego conseq. Nam vox *tantum*, excludit equidem receptionem confirmationis, sed non invocationem aliarum personarum.

### § II. De necessitate Baptismi.

Quaeres 1. *Quotuplex distinguitur necessarium ad salutem?*

*Resp.* Duplex, nempe, *necessarium necessitate precepti*, quod sine peccato non potest omitti culpabiliter, et *necessarium necessitate medii*, estque illud sine quo salus obtineri non potest, sive culpabiliter, sive inculpabiliter quis eo privetur. Quod si non possit suppleri per aliud aequivalens, dicitur *necessarium necessitate absoluta*, talis est, fides, spes, charitas, gratia habitualis, &c. Si vero possit suppleri per aliud, dicitur, *necessarium necessitate medii hypothetica*, talis est Baptismus, qui potest suppleri per Baptismum sanguinis, vel flaminis.

Quaeres 2. *Utrum Baptismus sit necessarius necessitate medii ad salutem?*

*Resp.* Extra casum martyrii, omnibus, tam infantibus, quam adultis est necessarius, necessitate medii in re, vel in voto; Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quod oraculum est generale: *Nullum excipit*, inquit D. Ambros. lib. 2. de Abraham, cap. 11. *non infantem, non aliqua necessitate praeventum.* Hinc Conc. Trid. definit: *Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, ana'hema sit.*

*Objicit Calvinus.* Filii fidelium, ex Apost. 1. Cor.

7. *Sancti sunt.* Ergo.

*Resp.* *Dist. ant.* Sunt sancti dispositive, conc. formaliter, nego. Dicuntur ergo sancti, quia destinantur ad sanctitatem per Baptismum suscipiendam.

Quaeres 3. *Utrum Baptismus flaminis suppleat vices Baptismi aquae?*

*Resp.* Supplet ex opere operantis, seu eliciens actum perfectae charitatis cum explicito Sacramenti voto. Id constat ex perpetua Ecclesiae doctrina, qua innixi PP. Tridentini docent, sess. 6. cap. 4. *Post Evangelium promulgatum, nunquam fieri translationem a statu veteris Adae ad statum gratiae, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto.* Quod votum debet esse explicitum, alias Concilio suisset inutile illud distincte appellare, cum votum implicitum semper includatur in contritione perfecta.

Quaeres 4. *An martyrium suppleat vices Baptismi?*

*Resp.* Supplet, ut expresse tradit Div. August. lib. 13. de Civit. Dei, cap. 7. *Quicumque, inquit, etiam non praeceptio regenerationis lavacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valeat ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis.* Qui enim dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit: *Qui me confessus fuerit &c.* Et alio loco: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam....* Porro martyrium supplet vices Baptismi *ex opere operato*, nam sic infantibus prodest; ergo et adultis, nulla enim est disparitas, unde Div. Thom. in 4. dist. 4. art. 3. ad 1. de martyrio generaliter dicit: *Non habet liberationem a culpa ei poena, tantum ex opere operante, sed hoc habet ex imitatione passionis Christi.*

§ III. De ministro et subjecto Baptismi.

Quaeres 1. Quotuplex distingui possit minister Baptismi?

*Resp.* Triplex, nempe, ordinarius, qui Baptismum ex officio administrat. Extraordinarius, qui Baptismum ex delegatione ministri ordinarii administrat. Et minister necessitatis, qui Baptismum confert constituto in periculo vitae.

Quaeres 2. Quinam sit minister Baptismi?

*Resp.* 1. Minister ordinarius, est Episcopus, et deppenderet ab Episcopo Sacerdos, quibus, in personis Apostolorum et Discipulorum, Christus dixit, Matth. 28. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* .... 2. Minister extraordinarius, est Diaconus, de licentia Episcopi aut Presbyteri, ut refertur cap. Constat, dist. 4. de consec. Constat Baptisma solis Sacerdotibus esse tractandum, ejusque mysterium, nec ipsis Diaconis expiere est licitum, absque Episcopo, vel Presbytero, (id est, absque licentia Episcopi, vel Presbyteri, ait glossa) nisi his procul absentibus, ultima languoris necessitas cogat.... Minister necessitatis, est quilibet homo, sive vir, sive mulier, sive baptizatus, sive non. Ratio est, voluntas Christi nobis ex traditione et praxi Ecclesiae manifestata, ad quam attendens Conc. Florent. definit: *In casu autem necessitatis, non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam Laicus vel mulier, imo etiam paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae, et facere intendat quod facit Ecclesia.*

Quaeres 3. Utrum infantes, et perpetuo amentes possint baptizari?

*Resp.* Possunt valide et licite; ut constat ex perpetua Ecclesiae praxi et traditione: Ecclesia traditionem ab Apostolis suscepit, etiam parvulis dare Bapti-

smum, ait Origen. tom. 2. p. 35. et Div. August. l. 1. de Gen. ad litteram, c. 28. dicit: *Consuetudo matris Ecclesiae in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi apostolica eset traditio.* Hanc veterem Ecclesiae doctrinam confirmat Conc. Trid. sess. 8. cap. 13 quo Anabaptistas anathemate percussit.

*Objicies.* Nemo potest baptizari, nisi prius instruantur: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Atqui infantes non possunt instrui; ergo.

*Resp. Dist. maj.* Nemo adultus, conc. nemo infans, nego. Nam mandatum Christi, quoad doctrinam, spectat solos adultos, sed quoad necessitatem Baptismi, spectat omnes, ut constat ex traditione.

*Inst.* Nemo potest baptizari, nisi credit, Marci ult. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvis erit. Atqui infantes non sunt capaces fidei; ergo. &c.

*Resp. Nego maj.* Nam infantes baptizantur in sola fide Ecclesiae, ut definivit Conc. Trid. textus ergo est intelligendus de adultis.

Quaeres 4. Utrum liceat filios infidelium baptizare invitis parentibus?

*Resp.* 1. Filii haereticorum licite possunt invitis parentibus baptizari. Quia cum ratione Baptismi sint subditi Ecclesiae, possunt cogi ab Ecclesia, ut infantes suos baptizari eurent; ergo eis possunt eripi, ut baptizentur.

*Resp.* 2. Filii mancipiorum non baptizatorum, possunt ac debent invitis parentibus baptizari, quia ratione servitutis parentum, pertinent ad dominos, quorum sunt possessio; ergo.

*Resp.* 3. Filii infidelium non baptizatorum, sive principibus infidelibus, sive fidelibus civiliter tantum subditorum, non possunt licite, *utroque parente invito*, baptizari, nisi jamjam sint in evidenti periculo mortis. Quia vel illi infantes subiraherentur parentibus, vel non;

*si primum*, violaretur jus naturale quod habent parentes in filios; *si secundum*, exponeretur Sacramentum periculo profanationis; atqui neutrum est licitum, cum non sint facienda mala ut eveniant bona; ergo.

Dixi 1. *Utroque parente invito*, quia si alteruter parentis consentiat, potest infans, altero renitente, baptizari, nam voluntas justa unius parentis in favorem prolii, praferenda est injustae alterius voluntati in prolii praejudicium.

Dixi 2. *Nisi infans jamjam esset in evidenti periculo mortis*, quia tunc nec eriperetur parentibus, nec Baptismus profanationi exponeretur.

#### § IV. *De effectibus et caeremoniis Baptismi.*

Quaeres 1. *Quot sint effectus Baptismi?*

Resp. Sublato obice, sunt tres, nimurum:

*Primus*, est gratia sanctificans, quae hominem interiorius regenerat, ac delicta quaecumque, tum originale, tum actualia totaliter remittit, et quoad culpam, et quoad poenam, cum *nihil damnationis sit iis qui sunt in Christo Jesu* regenerati.

*Secundus*, est gratia sacramentalis, quae definitur: *Gratia habitualis regenerativa, annexum habens jus ad gratias actuales necessarias ad conservandam vitam spiritualem per Baptismum acceptam, et ad dignae suscipienda alia Sacra mentia, quorum est janua.*

*Tertius* est character, ut supra probavimus.

Quaeres 2. *Quaenam sint dispositiones necessariae ad recipiendos effectus Baptismi?*

Resp. Ad recipiendum characterem sufficit voluntas recipiendi Baptismi; sed ad gratiam recipiendam requiruntur ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 6. fides, timor, spes, amor initialis, odium ac detestatio peccati, tandem propositum inchoandi novam vitam, et servandi divina mandata.

Quaeres 3. *Utrum caeremoniae Baptismi, quae, co gente necessitate, fuerant omissae, sint postea supplendae?*

Resp. affirm. Id enim praescribunt omnes libri Rituales.

*Objicies.* Exorcismi sunt inutiles post Baptismum, quo fugatus est daemon; ergo frustra supplentur.

Resp. Nego. ant. Nam exorcismi non tantum adhibentur ad fugandos daemones, sed etiam ad eorum vires reprimendas, quare D. Thom. 3. p. q. 71. art. 3. ad 3. dicit: *Nec frustra supplentur post Baptismum: quia sicut impeditur effectus Baptismi antequam percipiatur, ita potest impedire postquam fuerit perceptus.*

Quaeres 4. *Quaenam sint obligationes patrinorum?*

Resp. Sunt quinque, namque debent, 1. Baptizandum Parocho praesentare. 2. Pro eo respondere, si nequeat. 3. Illum tenere dum baptizatur. 4. Illum de manu baptizantis suspicere. 5. Illum debite in rebus fidei, et doctrina christiana instruere, si parentes id praestare non possint. Unde ab officio Patrini excluduntur amentes, non baptizati, haeretici, publice excommunicati et infames, quia non sunt capaces instruendi baptizandos in doctrina christiana.

Quaeres 5. *Quinam, ratione status, excluduntur ab officio patrini?*

Resp. Excluduntur. 1. Religiosi et sanctimoniales, 2. Pater et mater infantis, quia contraherent inter se cognitionem spiritualem, quae impediret usum Matrimonii.

#### DISSERTATIO III.

##### *De Confirmatione.*

**A**legamus 1. de natura, materia, et forma Confirmationis. 2. De ejus ministro, subjecto, et necessitate. 3. De ejus effectibus et caeremoniis.

§ I. De natura, ac materia et forma Confirmationis.

Quaeres 1. *Quid sit Confirmatio?*

Resp. Definitur: *Sacramentum a Christo institutum, quo baptizatus per unctionem Chrismatis in fronte per modum Crucis factam, sub praescripta verborum forma, corroboratur ad fidem firmiter tenendam, et intrepide proficiendam.*

Quaeres 2. *Utrum Confirmatio sit verum ac proprium dictum novae legis Sacramentum?*

Resp. affirm. Nam habet omnia requisita ad verum Sacramentum, ut colligitur ex Act. Apost. cap. 8. est enim, 1. signum sensibile, *Tunc imponebant manus super illos.* 2. Habet vim producendi gratiam: *Et accipiebant Spiritum Sanctum.* 3. Est a Christo instituta, cum solius Christi sit instituere signum collativum gratiae. 4. Est permanenter instituta, ut demonstrat Ecclesiae usus ab Apostolis ad nos usque non interrupsit, et testantur omnes Patres cum S. Clem. Epist. 4. *Omnibus festinandum est sine mora renasci, et demum consignari ab Episcopo.... ut a S. Petro acceptimus, et caeteri SS. Apostoli, praecipiente Domino, docuerunt.* Unde merito Conc. Trid. sess. 7. can. 1. de Confir. definit Confirmationem esse verum et proprium Sacramentum.

Quaeres 3. *Quo tempore Christus instituerit Confirmationem?*

Resp. Cum id neque ex Scriptura, neque ex traditione possit colligi, incertum est; probabilior tamen est sententia eorum, qui doceant Christum instituisse Confirmationem intra illud spatium temporis quod fluxit a Resurrectione usque ad Ascensionem.

Quaeres 4. *Quaenam sit materia remota Confirmationis.*

Resp. Est Chrisma, confectum ex oleo et balsamo,

benedictum ab Episcopo, ut expresse declaravit Conc. Flor. in decreto: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cuius materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae; et balsamo, quod odorem significat bonae famae, per Episcopum benedicto.* Id confirmat praxis Ecclesiae non interrupta.

Quaeres 5. *Quaenam sit materia essentialis et adaequata Confirmationis?*

Resp. Est ea impositio manus, qua Episcopus ungit per modum Crucis frontem confirmandi. Ita docent Patres: *Illa unctione, inquit V. Beda, quae per manus impositionem fit ab Episcopo, vulgo Confirmatio dicitur,* Rabanus Maurus, lib. 1. de institut. Cler. cap. 28. refert ex S. Sylvestro, *ad solum Episcopum pertinere, ut baptizatum per manus impositionem cum ipso Chrismate consignet.* Unde sic concludit Bellarm. lib. 2. de Confir. cap. 2. *Ipsa unctione et signatio, cum manu fiat, manus impositio recte dicitur; qui enim inungit, manus imponit, et idcirco utrumque significatur, etiamsi alterum tantum exprimi videatur, ut addit cap. 9. Praeterea, Graeci habent verum Confirmationis Sacramentum: atqui tamen apud illos nulla fit manus impositio distincta ab unctione Chrismatis, ut constat ex Conc. Constantinop. I. can. 7. et fatetur Goarius; ergo, &c.*

Objicies. Apostoli per solam manus impositionem confirmasse referuntur. Act. 8. Ergo, &c.

Resp. Nego ant. Nam in Scripturis, unctione est manus impositio, quod probat Bellarm. ex Marci 7. ubi, *Cum postulassent quidam, ut Dominus imponeret manus surdo et muto, ille id fecit: nam, misit digitos suos in auriculas ejus, et expuens tetigit linguam ejus, ait Textus.*

Inst. Eugenius IV. in decreto, post laudatum Tex- tum Act. 8. ait: *Loco autem illius manus impositionis, datur in Ecclesia Confirmatio.* Ergo unctione, qua

datur nunc Confirmationis, distinguitur a manus impositione, qua dabatur ab Apostolis.

*Resp. Nego conseq.* Nam, *Sensus non est*, inquit Bellarm. *Chrisma esse loco impositionis manus, quasi Apostoli non usi fuerint Chrismate, et nos non utamur manus impositione: sed sensus est, id ipsum quod Apostoli faciebant, cum dicebantur manus imponere, facere nunc Episcopos, cum dicuntur confirmare aut chrismare; distinguunt enim in his locis, non ritus a ritu, sed modus loquendi a modo loquendi, &c.*

*Quaeres 6. Quanam sit forma essentialis et adaequa Confirmationis?*

*Resp.* Forma, apud Latinos, est: *Signo te signo Crucis, et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, &c.* Et apud Grecos, haec est: *Signaculum doni Spiritus Sancti, in nomine Patris, &c.* Constat ex omnibus Ritualibus Latinorum, et Euchologiis Graecorum, et ex usu perpetuo utriusque Ecclesiae.

*Objicies.* Forma Confirmationis debet esse deprecatoria; nam, *Orabant pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum: Atqui haec verba: Signo te, confirmo te, non sunt deprecatoria, sed absoluta: ergo.*

*Resp. Dist. maj.* Debet esse deprecatoria virtualiter et quad sensum, *conc.* quad pronunciationem et grammaticaliter, *nego*. Porro verba formae, licet indicative pronuntiantur, tacitam includunt orationem, qua minister divinam opem invocat, ut effectum sacramentalem producat.

*Inst.* Ex his verbis, *Jac. 5. Et orent super eum, ungentes, &c.* recte infertur formam Extremae unctionis debere pronuntiari deprecativa; ergo ex his verbis: *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent, &c.* idem inferri debet.

*Resp. Nego conseq.* Disparitas petitur ex Traditione Apostolica relucente in perpetua praxi Ecclesiae.

¶ II. *De ministro, subjecto, et necessitate Confirmationis.*

*Quaeres 1. Quinam sit minister ordinarius Confirmationis?*

*Resp.* De fide est, solum esse Episcopum, ut constat, tum ex Scriptura, *Act. 8. ubi legitur Petrum et Joannem Apostolos, missos fuisse Samariam, ut eis, qui a Philippo baptizati fuerant, manus imponerent, et darent Spiritum Sanctum: tum ex Tradit. cuius testes sunt Patres, dicentes cum Div. Chrysostom. hom. 18. in cap. 8. Act. Virtutem quidem acceperant Diaconi faciendi signa, non autem dandi aliis Spiritum Sanctum; inter hoc erat in eis singulare, unde et praecipuos, id est, Episcopos, et non alios videmus hoc facere. Ita enim defimerunt Concilia Flor. in decreto, et Trid. sess. 7. can. 3.*

*Objicies.* Ananias, qui non erat Episcopus, impo-  
suit manus Paulo, dicens: *Saule Frater, Dominus mi-  
sit me Jesus.... ut videas, et implearis Spiritu San-  
cto; ergo, &c.*

*Resp. Dist. ant.* Imposuit manus ad visum ei re-  
stituendum, conc. ad eum confirmandum, nego. Unde Paulus non per Confirmationem impletus est Spiritu Sancto, sed per Baptismum, ut patet ex contextu, et confessim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamae,  
et visum recepit; et surgens baptizatus est.

*Quaeres 2. Quis possit esse minister extraordinarius Confirmationis?*

*Resp.* Simplex Presbyter per dispensationem pon-  
tificiam; sed debet uti Chrismate per Episcopum be-  
neditio, prout statuit Concilium Florent. in decreto;  
nam 1. id concessit Gregor. Magnus Presbyteris Cal-  
laritanis, ut refertur cap. *Pervenit*, dist. 91. *Ubi de-  
sunt Episcopi*, inquit, *ut Presbyteri etiam in frontibus  
baptizato Chrismatem ungere debeant, concedimus. 2. In*

Ecclesia Graeca, a mille annis et amplius, simplices Presbyteri Confirmationem conferunt, quam praxim non reprobat Ecclesia Latina, quae Graecos in suam communionem admisit in Concilii Lugdun. II. et Flor. nec tamen Confirmationem, ab eorum Presbyteris collatam, rejicit ut invalidam; ergo, &c.

*Objicies.* Potestas confirmandi, est potestas Ordinis, non Jurisdictionis: atqui potestas Ordinis non potest dari per delegationem; ergo, &c.

*Resp. Dist. maj.* Potestas confirmandi, ordinaria et perfecta, conc. extraordinaria et imperfecta, nego. Sola autem potestas extraordinaria potest dari Presbytero, qui ratione sui Ordinis inchoatam habet et incompletam potestatem, quia capax fit ut ad Confirmationem conferendam possit delegari per dispensationem pontificiam, per quam potestas illa perficitur ac compleetur, ut valida sit Confirmationis, alias invalida futura.

Quaeres 3. *Quodnam sit subjectum Confirmationis?*

*Resp.* Est omnis, et solus homo baptizatus: *omnis* quidem, ut constat ex praxi primitivae Ecclesiae, quae infantibus una cum Baptismo Confirmationem et Eucharistiam ministrabat, quam praxim nunc etiam observat Ecclesia Graeca. *Solus* etiam, quia Baptismus est janua caeterorum Sacramentorum.

Quaeres 4. *Quaenam dispositiones requirantur in confirmando?*

*Resp.* Ut validum sit Sacramentum, sufficit voluntas illud recipiendi: ut cum fructu recipiatur, requiritur status gratiae ad Sacramenti vivorum receptionem necessariae.

Quaeres 5. *Utrum confirmatio sit necessaria ad salutem?*

*Resp.* Non est necessaria necessitate medii, quia si ne ea homo potest salvari per Baptismum et Poenitentiam; sed est necessaria necessitati praeecepti divi-

ni et ecclesiastici; nam Christus praecepit Apostolis, ut Confirmationem reciperent; *Praecepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris;* atqui caeteri omnes, tum viri, tum mulieres huic praeecepto paruerunt, dicente Scriptura ibidem: *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria Mater Jesu, et fratribus ejus.* Ergo omnes sibi praeceptum esse impositum intellexerunt. Hinc Conc. Senonense definit: *Confirmationem omnes Christiani, tam viri quam mulieres, usum rationis habentes, obligantur suscipere, aut saltem non contemnere. Contemnere autem dicitur, quando Episcopus est praesens paratus dare, et persona hoc sciens negligit.*

### § III. De effectibus, et caeremoniis Confirmationis.

Quaeres 1. *Quot sint effectus Confirmationis?*

*Resp.* Sunt tres. *Primus*, est gratia sanctificans secunda. *Secundus*, est gratia sacramentalis, quae definitur, gratiae habitualis roborativa, annexum jus habens ad gratias actuales necessarias, *ut Christianus audacter Christi nomen confiteatur*, ait Flor. in decreto. *Tertius*, est character, quo baptizatus adscribitur militiae Christi.

Quaeres 2. *Quaenam sint Confirmationis caeremoniae?*

*Resp.* Sunt sex, nempe, 1. Adhibitio patrini; qui sit baptizatus et confirmatus. 2. Mutatio nominis si sit turpe vel ridiculum. 3. Est manus impositio, qua Episcopus super confirmandos divinam implorat protectionem. 4. Est levis inflictio alapae in maxilla confirmati. 5. Est pax quae datur confirmato. 6. Demum, est circumligatio frontis confirmati fasciola linea per triduum, ut significetur gratiam acceptam conservandam esse diligenter: excipit Synodus Melodunensis, nisi frontes, praesente Episcopo, eodem panno vel bombyce abstergendae curentur.